

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 835

**Auteur(s) :** Robert de Courcy [particulier]

**Auteur(s) :** Robert du Neubourg [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Geoffroy Plantagenêt, Normandie (duc)

**Genre d'acte :** lettre

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** ...1144...

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Robert de Courcy et Robert de Neubourg rendent compte à Geoffroy Plantagenêt (non cité), duc de Normandie et comte d'Anjou, de la reconnaissance juridique qu'ils ont faite, par son ordre, de la banlieue de Cambremer, et ils citent les témoignages de ceux qu'ils ont convoqués et fait jurer à Falaise, dans l'église de Saint-Gervais.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° XLIII, t. 1, p. 51-53.

## Dissertation critique

Datation proposée par V. Bourrienne

Texte établi d'après a

Duci Normanniæ et comiti Andegaviæ, karissimo domino suo, Robertus de Curceio et Robertus de Novo Burgo, salutem. Notum facimus vobis quod, sicut præcepistis, leugatam de Cambremerio fecimus recognosci per juramentum antiquorum et legitimorum hominum in confinio manentium, sicut melius fuerat tempore regis Willelmi prioris, et sicut postea melius fuerat tempore regis Henrici, et episcopi Baiocensis, Ricardi filii Sansonis. Et ut cercius res ad noticiam veniret, plures quam in cæteris rebus soleamus juratores, et de terris diversorum baronum, apud Falesiam, in ecclesia beati Gervasii, in præsentia nostra, convenire et jurare fecimus. Juramento igitur eorum qui se hoc vidisse, et audisse, et novisse testabantur, quorum etiam quidam servientes ejusdem leugatæ tempore regis Henrici extiterant, recognitum fuit prædictam leugatam subscriptis terminis extendi et contineri, et omnes infra terminos manentes episcopo Baiocensi, tempore regis Henrici, ex consuetudine reddidisse, de omni emptione et vendicione infra terminos facta, teloneum statutum, et telonei non redditu emendam, similiter et sanguinis ibidem facti emendam; licebat etiam præposito episcopi, per omnes terras infra terminos, justiciam suam libere facere. Termini autem, infra quos leuga continetur, isti sunt: incipit enim a Petra de Houcemainne, et extenditur usque in Alegot fluvium; et deinde, sicut Alegot descendit, donec cadat in Viam fluvium; abhinc vero, sicut Via flumen discurrit, usque dum Oreta aqua in eam labitur; subinde, Oreta leugam claudit, sicut descendit a vado Sancti Germani de Livez; et inde, distentur (sic) leuga per domum Ricardi Gareth usque ad butam de Manerba; abhinc autem, per medium Gratepanche protenditur ad Petram de Houcemainne, unde incipit. Juratores autem isti fuerunt: de terra abbatis de Sancto Petro super Divam: Ricardus, filius Milonis; Rogerus, filius Odonis; Hugo

Taissun ; Amis ; de terra Rogeri de Gowit: Robertus de Houcemainne ; de terra Roberti Marmiun, quæ est de feudo comitis de Mellent: Gocelinus Vairun ; de terra Roberti de Monte Forti: Ricardus de Warlainmont, et Ricardus de Altaribus ; de terra Simonis de Bosvilla: Gauterus Britto ; Robertus, filius Milonis ; Willelmus de Brueria ; Radulfus de Luto ; Ricardus Parvus ; de terra Rogeri de Gratepanche: Ricardus, Durum Scutum cognomento ; Hugo, filius Ricardi ; de terra Gauteri de Pinu: Ricardus Verroil ; de terra Hugonis de Crevecor: Ricardus de Fraisneto. Retulerunt etiam isti, coram nobis, nominatas ibidem quas viderant justicias et emendas. Testibus Willelmo de Montpichun ; Radulfo de Corlibove ; Aitardo Poucino ; Willelmo de Olvilla ; Willelmo Boviun ; Gisleberto de Bigart.